tam fructiferam in salsuginem : a malicia inhabitancium in ea. Posuit desertum in stagna aquarum : et terram sine aqua in exitus aquarum. Et collocavit illic esurientes : et constituerunt civitatem habitacionis. Et seminaverunt agros et plantaverunt vineas : et fecerunt fructum nativitatis. Et benedixit eis et multiplicati sunt nimis : et iumenta eorum non minoravit. Et pauci facti sunt et vexati sunt : a tribulacione malorum et dolore. Effusa est contencio super principes : et errare fecit eos in invio et non in via. Et adiuvit pauperem de inopia : et posuit sicut oves familias. Videbunt recti et letabuntur : et omnis iniquitas oppilabit os suum. Quis sapiens et custodiet hec : et intelliget misericordias domini. ℣ Visita nos domine in salutari tuo. ℣ Confitebor. Ps.

Paratum cor meum deus paratum cor meum : cantabo et psallam in gloria mea. Exurge psalterium et cythara : exurgam diluculo. Confitebor tibi in populis domine : et psallam tibi in nacionibus. Quia magna est super celos misericordia tua : et usque ad nubes veritas tua. Exaltare super celos deus : et super omnem terram gloria tua : ut liberentur dilecti tui. Salvum fac dextera tua et ex